


**Dissertatio Theologico-Philologica, S. Synaxi prævia, De Empyrism Sacrificii  
Abelis : Occas. loc. Gen. IV, vers. 4. ...**

Bremæ: Typis Hermanni Braueri, [1718?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862154308>

Druck Freier  Zugang





49. cl. 5.

51

Fa-1092 (51.)



16. Dav. Nichteri physiognomia Davidis. Jena 1715. ad Leuil.  
xxi. 16 ff. Jena 1715.
17. a. Jo. Trey vindicia loci Num. vi. 22 ff. a delationibus West-  
heimensis Pentateuchi Interpretis. Jena 1739.
17. b. Jo. Legat. Reckenbergi disputatiuncula de Ebraeor.  
electis s. studiosis ad Jo. Trey. 76. eod.
18. A. C. Sakenholtz de immunditie ex contrablatione  
mortuorum secund. legem Mosaicam Num. xix. Helmsf.  
1708.
19. Jo. Cass. Kaferung de Bileamo incantatore & Propheta  
periodico. Wittab. 1739.
20. Jo. Dav. Grillo Deum Triunum esse ex Deot. vi. 4.  
asertum. Franc. ad Madr. 1736.
21. Mich. Cha. Rasmeyer de Aarona viro sancto tribus  
Leui, typo Christi ex Deot. xxxiii. o. Gryph. 1738.
22. Jo. Mich. Lorentz de supplicio Achavis ex Josue vii. Argentor. 1735.
23. Petr. Becker de miraculo folii et luse in hemisphaerio Gubro.  
nis et Ajalonis ad mandatum Josue statuum ad Jos. xii. 15. Jen. 1739.
24. Carol. Ludov. Scheiff de Rutha nocte profum. insubstantes et ab aliorum  
criminationibus vindicata ad Ruth. iii. 2-10. Ged. 1729.
25. El. Sieberradii Theologus heres, ab Elia alio propheta in ecclesia  
corruptissima olim expressus ad 1 Reg. xix. 10. Argentor. 1722.
26. Haac. Fraustis exprobratio ad Inscriptionem Galeni xxxiv Davidis.  
Argentor. 1699.
27. Anonymi meditatio de Jesu Christo victore, praevident. distribute.  
Ger. ff. ad J. lxxviii. 19. Gerac. 1729.
28. Christiani Schwan de expiatione hys sepo facta ad J. li. 9.  
Lips. 1740.
29. Theod. Dassonius de lustratione Hebraeorum ad J. li. 9. et Hebr. 13. 13. 14.  
1692. rec. Wittab. 1745.

30. Cor. Dieter. Korkius in Paln xci. Helust 1729
31. Jo. Henr. Edwards disp. in Ps. cxiii. Argent. 1708.
32. Eund. observationes miscellae ad Ps. cxiv ibid. 1712.
33. H. Fauphian ex oratione in sententiam Salomonis Prov. xvi. 4. ib. 1695.
34. Gustav. Georg. Zeltner de aeterna fidei, inter rationis tenebras emergent. ad Gen. viii. 19. 20. Acton. 1729.
35. Programma academiae Göttingensis ad Jer. xxxi. 22. 26. Göt. 1719.
36. Jo. Christ. Hebenstreit de Baruch ad illustrandum St. 1705 Göt.
37. Van. Hoffinger de Sancti Michaelis Angelorum auxiliatore. ad Dan. x. 13. Argent. 1713.
38. Programma academiae Helust. de Michaelis Archangelo. ad Dan. x. 13. cl. 20. Helust. 1722.
39. Stoy. Ludov. Königsmaier de judae Israëlis virga super mapellam permissa. ad Nich. 11. 1A. Jen. 1739.
40. Ab. Henon. Verpoortenius de justitia fidei ad Matth. 11. 3. 4. Ged. 1736.
41. Jo. Geor. Michaelis de visu stante inter myrtos. ad Zach. 1. 7. Hal. 1737.
42. Programma de Spiritu Gratiae ex Zach. xii. 10. Helust 1731.

16. D  
17. A  
17. B  
18. S  
19. L  
20. L  
21. M  
22. J  
23. .  
24. C  
25. L  
26. O  
27. A  
28. C  
29. D

*[Faint, mostly illegible handwritten text in a cursive script, likely a ledger or account book. The text is written in dark ink on aged, yellowish paper. Some words are difficult to decipher but appear to be organized in columns or rows.]*

EC  
WE  
R  
G  
DYCE  
ANG  
PHI

6.  
DISSERTATIO THEOLOGICO-PHILOLOGICA;  
S. Synaxi prævia,  
De

ΕΜΠΥΡΙΣΜΩ  
SACRIFICII ABELIS,

Occaf. loc. Gen. IV. verf. 4.

וישע יהוה אל הבל ואל מנחתו

Quam

DIVINIS AUSPICIIS

Sub MODERAMINE

VIRI Admodum Reverendi atque Clarissimi

DOMINI

ALBERTI SCHUMACHERI,

S. S. Theol. Doct. & Profess. Publ. Celeberrimi,  
Parœciæ Ansgarianæ Ecclesiast. Primarii Facundif-  
simi, nec non Illustr. Lycei h. t. RECTORIS

MAGNIFICI,

Dni. Patroni atque Præceptoris sui ad cineres usque  
devererandi,

ad diem Jovis XXIV. Martii, A. MDCCXVIII.

Eruditorum censura publica exponit

DANIEL GONDELA,

Bremâ-Saxo,

AUCTOR.

H. L. Q. S.

BREMÆ,

Typis Hermannî Braueri, illustris Gymnasii Typogr.

DEO,  
PATRIÆ,  
PATRONIS,  
PRÆCEPTO-  
RIBUS,  
COGNATIS  
atque  
AMICIS,

*Hasce studii Theologici, qualescunque  
Primitias consecrat atque  
offert*

AUCTOR.





De  
EMPTYPISM<sup>Q</sup> SACRIFICII ABELIS.

§. I.

**M**essiam, qui Dei cum Ecclesiâ inducias plenâ aliquan-  
do pace terminaret, in carne appariturum, nec abs-  
que sanguinis fusione de Diabolo triumphaturum,  
Matrix & radix omnis verbi gratiæ, Proteuange-  
lium haud obscurè prædixit. Memoratum enim in  
illo Calcanei vulnus, femini mulieris à serpente in-  
fligendum, חבלי המשיח sive *Passiones Messie* & perniciem quam  
ictu ac veneno suo intentaturus ipsi erat hostis sub pedibus jam  
contritus, aptissimè designabat, aded ut ratione hujus vaticiniû  
mortem Christi tam clarè præcinentis, *Agnus occisus ab origine mun-  
di* Apoc. 13. vers. 8. jure meritoque vocetur. Prima hæc promif-  
sio, qua Protoplastis spes expiationis reatus mortis æternæ, cui  
per peccatum obnoxii fuerant facti, denuò affulgebat, cum per-  
cussum eorum animum unicè erigeret, frigidamque consolatio-  
nis ipsis suffunderet, in illam quoque imprimis fidei oculos inten-  
debant, & ut eò altiùs promissi beneficii memoria animis infige-  
retur, cognitionem ejus non tantùm filiis suis crebrâ institutio-  
ne instillârunt, sed & sacrificiis vividum hujus mysterii sensum  
incutientibus, illam subinde reficârunt. Erant siquidem ea ad  
mortem Christi vivis coloribus depingendam aptissima, simulque  
declarabant, fœdus Dei non alia pangi ratione, quam עליו זבח  
*Psal. 50: 5.* & Goëlem ad abolitionem peccati promissum *דוא תהי  
שוותא אורא* manifestandum esse, *Hebr. 9: 26.* imò *χαρις αιματος*  
*συναγωγης* nullam fieri peccatorum remissionem. \* *Hebr. 9: 22.*

A

§. II.

\* *Talmudici tit. Menachot, fol. 39. Paulinum hoc dictum iisdem ferè ver-  
bis exprimunt, אין כפרה אלה ברם Non datur expiatio nisi per  
sanguinem,*

30.  
2.  
36.  
25.  
30.  
23.  
10.  
24.  
21.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.

Unde cum magna veri specie conjuncta est eorum sententia, qui sacrificiorum originem ad ipsa penè mundi incunabula referunt, & Adamum statim post novi Fœderis promulgationem vi-ces sacerdotis obiisse, ut divinis promissis firmâ se adherere fide, demonstraret, autumant. Nec ineptè evincere hoc allaborant ex tunicis Protoplastorum pelliceis, quas immolatis in sacrificium animantibus detractas fuisse, indeque legem (Levit. VII. 8.) Sacerdoti qui victimam holocausti offert in ipsius pellem jus facientem fluxisse, non inani conjecturâ augurantur. Ex Hebræorum magistris R. S. Jarchi præcipuè hujus sententiæ patrocinium suscepit in *Comment. ad Psalm. LXIX. 32. vid. Cloppenburgii Schol. Sacrif. cap. II. §. 4. & 5. Witsii Oecon. Fœd. Lib. 4. p. 519. & Miscell. sacr. lib. II. p. 462. Joh. Lightfooti Obs. in Gen. p. 154. & Erubim. p. 203.*

Quicquid autem hujus sit, sacrificia tamen antiquissimi usus esse historia oblationum Caini & Abelis extrâ omnem controversiæ aleam collocat. Plurima in hac relatione *διουσίηται*, quæque eruditioribus quandoque crucem fixerint, ob miram breviteratam qua res antediluvianas perstrinxit Moses occurrere, nemo ambiget. Nec enim paucorum capitum ambitu, minutos rerum tot annis gestarum apices complecti atque enarrare potuit, quod si divino Historiographo consilium sedisset, immensæ molis voluminibus Ecclesiam onerasset, quod è re ipsius minimè fore, facile prævidebat. Quare res quasdam quæ sine salutis dispendio tutò ignorari possunt, non ita fusè prosequitur, ut earum circumstantiis omnibus recensendis sollicitè inhæreat, sed ibi paucis multa persæpe dicit, & plurima in compendio exhibet, sedulo lectoris studio res ulterius investigandi ansam hoc pacto relinquens. Usu siquidem comprobatum jam satis est, ex locorum mutuò se respicientium collatione, verborum emphasi, textûs circumstantiis, & sequentium temporum consuetudine, multa dijudicari, locisque tenebris quibusdam involutis lucem affundi posse fulgidissimam. Cujus rei vivum nobis exemplum conspiciendum sistitur in illustri loco, quem præ manibus habemus, & in quo Deus ad Abelem & munus ejus respexisse perhibetur: Sub  
qua

qua nervosa atque succincta loquendi formula plus adhuc in recessu latere, quam quidem verba præ se ferant, omnes lubenter concedent. Hujus itaque locutionis emphasin & genuinum sensum pro ingenii modulo, favente summi Numinis gratiâ, quam ardentissimis suspiriis efflagitamus, inquirere, animo sedet propositum.

§. IV.

Et primò quidem verba textus prout in fonte nobis exhibentur contemplari fas erit, quæ ita se habent. וישע יהוה אל הבל ואל מנחתו. *Et respexit Deus ad Abelem & ad munus ejus.* Non lubet hîc multa congerere de tempore oblatis sacrificiî, aut cuiusnam illud classi & generi assignandum sit, cum molitam hanc à multis molere velle farinam ab instituto nostro perquam alienum foret. Cardo argumenti in eo tantum vertitur, ut in modum quo susceptum & approbatum sit à Deo Abelis munus, sedulò inquiremus. Nam de benevola sacrificiî approbatione hîc agi, emphasis verbi וישע luculenter testatur, quod non nudum respectum, sed talem qui benevolentiam simul & proum animi affectum includat, infert. Quod si enim hîc vulgaris visio aut respectus innueretur nullum inter Abelis atque Caini Sacrificium intercessisset discrimen, Deo utrumque sanè omni præsentia suâ oculis æquè aspiciente. Et hac quidem vi verbum וישע pollere, interpretum consensus & parallela S. Scripturæ loca nos dubitare non sinunt. Sic enim ὁ ἐβδόμηγοντος וישע &c. vertunt, ἐπεὶ δὲ ὁ Θεὸς & paulò post vers. seq. וישע לך de Caini munere adhibitum reddunt ἐπροσέφερε. Targum habet ויהוה רעוא קרם יי. Et fuit beneplacitum à Domino. Hos reliquæ versiones catervatim sequuntur. Sic Procopius verbum explicat per παρακληθῆν consolatione affectus fuit. Symmachus adhibet ἐπέφθη, oblectatus fuit. Aquila, ἀπικλήθη, delinitus fuit. Syrus interpres habet εὐδόκησεν, complacuit. Inter Hebræos Abenezra exponit per קבל acceptavit, acceptum habuit. Minus commodè Jarchius, transtulit וישע per ויפן & convertit faciem scil. ad aspiciendum, cùm פנה minùs latè pateat, atquè adedè emphasin vocis ea expositio non admodum exhauriat. Vid. Ursini Miscell. Sacr. lib. V. p. 260. & Christoph. Cartwrighti Electa Targumico-Rabbiniça, Eandem significationem etiam in aliis S. Scripturæ locis

30

2

36

25

9. 30

23

10

24

21

13

14

15

16

17

cis induit: ita Esaia XVII. 7. legimus: *Eo die על שמה יהוה יושב* respiciet homo ad factorem suum, & vs. 8. *על אלה ישעיה* non respiciet ad altaria, i. e. Non habebit amplius delectationem in altari- bus, sed illam in solo Jehova quæret, vid. quoque Ps. CXIX. 13, 16, 47, 70, & 117. & Es. LXVI. 12. Eundem loquendi genium se- cularis eruditionis auctores quandoque consectantur, ut vel ex uno Virgillii Æn. I. vers. 690. loco patet, ubi Anchises Jovem precibus compellans, in hæc prorumpit verba.

*Jupiter omnipotens precibus si flecteris ullis,*

*Respice nos:*

Rationem adhibitæ vocis *Servius* subjungit. *Quia intuentes Dii ju- vant.*

## §. V.

Latiùs se adhuc verbi significatio extendit, quando cum *ל* ut hoc loco fit, construitur: tunc enim præter gratiosum aspectum, gestum quoque applicantis se ad rem gratam insuper designat; *Ubi quis nutu oculorum* (sunt verba Doctiss. P. Fagii in not. ad Peutateuch.) *delectum quasi facit, hoc est, favorem nutu & oculis indicat, & amanter aspicit.* *Quæ enim amamus, quibusq; delectamur, ad ea nos convertimus, libenterq; aspiciamus.* vid. Schindlerum in lexic. Pentagl. & Contr. Kircherum in Concord. Græc. Appositè quoque ad h. l. Lutherus notat, hoc verbum non simplicem aspectum, sed ostensionem faciei gratiosæ & blande inferre, prouti mater ad infantem respicit, & singula- rem amoris significationem in vultu ostendit. vid. Prov. VIII. 30, 31. & XVI. 15. Cum igitur tale quid hæc vox importet, quod propriè in Deum non cadit, Sacer Scriptor familiarè Scripturæ more: *κατ' ἀνθρώπων πρὸς θεὸν* loquitur, i. e. (Salviano lib. II. de Gubern. Deï explicante) ad humanam intelligentiam, humanarum rerum significati- bus utitur. Sic hoc loco Deo personam regis aut principis aptari non abs re dixeris. Illis enim quam maximè proprium est, ut oculorum ad munus oblatum directione benevola testentur istud sibi gratum esse, cum contrà si oculos removeant, nec munus intueri dignentur, eo ipso aversi animi notas sat manifestas præ- beant. vid. J. D'Outreïn Comment. in Ep. ad Hebr. part. III. p. 581.

## §. VI.

Explanatà sic verbi significatione, proxima pensè nostri pars: *exigit,*

exigit, ut modum peculiarem quo Deus respexerit, quove signo favorem suum Abeli illucescere fecerit, paulò penitiùs rimemur. In eo autem explicando dissonas interpretum cernere licet sententias, quarum præcipuas L. B. oculis subijcere, non incongruum fore ducimus, ut quænam inter eas firmissimis incedat talis, in aprico eò melius collocetur: Sunt (ut ab iis ordiamur) qui divinam ergà Sacrificium Abelis benevolentiam inde apparuisse existiment, quia fumus ex igne sacrificii ejus ortus rectà in cælum iverit, ex Caini verò hinc inde dispersus ac dissipatus fuerit: cujus sententiæ patronum *Claudius Marius Victor* Carm. in Gen. vers. 175. se profiteretur.

Sic olim ante sui præsensit candidus Abel

Invidiam fratris; nam cum de fruge litasset

Iste suâ, niveo ille agno: mox protinus altum

In cælum ascendit combusto fumus ab agno:

At contrà per inane volans de frugibus istis

In terram rediit, fugienti fumus olympo.

Eandem inflat tibiã *Wilh. Estius* Comm. in Ep. ad Hebr. rationem insuperaddens, quod hoc ad animum cujusque designandum apprimè conveniens esset. At inanis hæc & omni fulcro destituta est conjectura. Non enim tametsi omnes ingenii intendant nervos, ullum ex S. literis exemplum proferent, quo Deum tale favoris sui documentum edidisse comprobent. Gentilium potiùs id commentum redolet superstitionem, quibus ignem & fumum sacrificiorum sollicitè observare, in more positum fuisse constat. Quodsi quippe erectè in altum surgeret ignis, tunc bene se litasse, sin autem fumus se divideret, vel circà terram hæreret, Deorum iram in se accensam vana mentis inducti superstitione, credebant. De igne hoc docet *Ovidius Lib. IV. de Ponto Eleg. 9. vers. 53.*

*Surgat ad hanc vocem plenâ pius ignis ab arâ,*

*Detq; bonum voto lucidus omen apex.*

Ex fumo verò omen quoque captasse ex *Seneca Tragicæ Adip. Act. III. Scen. 2. vs. 30.* apparet, ubi *Manto* & *Tiresias* hujusmodi inter se commutant verba.

*Tir. Quid flamma? largas janne comprehendit dapes?*

*Mant. Subitò resulsit lumen, & subitò occidit.*

*Tir.*

Tir. *Utrūmne clarus ignis & lucidus stetit,  
 Rectusq; purum verticem cælo tulit,  
 Et summam in auras fufus explicuit comam?  
 An latera circumserpit incertus via?  
 Et fluctuante turbidus fumo labat?*

Prior superstitionis modus *Πυρονομία* & *Πυρομαρτεία*, Latinis *Ignispicium*; Posterior autem *Κατανομαρτεία* dicebatur. vid. *Saubertum de Sacrif. cap. 16. pag. 319 & sqq.* & *Joh. Jac. Crameri Exercit. de Ara Exteriori Templi secundi.*

§. VII.

Non minùs à veri viciniâ recedunt, qui Abelem quidem de divina gratia certum fuisse redditum statuunt, quia post oblatum hoc sacrificium res suas ex voto fluere animadverteret: Cainum verò etiam minimè latere potuisse, quod nullam oblatione sua apud Deum iniverit gratiam, quoniam nullis extraordinariis ab eo se cumulari beneficiis senserit, sed potiùs terram votis suis adversam, injectosque fructus cum exiguo tantum fœnore reddentem, expertus fuerit. Ita præ aliis sentiunt *Mercerus & Aloysius Novarinus*. Nam si rem accuratâ ponderemus trutinâ, vero multò magis consentaneum apparebit, Abelem hæc in parte communem fidelium sortem expertum fuisse, nec terrenâ felicitate adeò præfulsisse: Cainum verò mundanis rebus unice affixum, opibus quoque magis abundasse: quin etiam manifestam vim textui inferunt, qui ita statuunt, cum ex ipsò narrationis filo clarè eluceat, non longum intervallum inter sacrificii oblationem, & editum divinæ complacentiæ signum intercessisse, sed eodem temporis tractu istud apparuisse; Ut alia rationum momenta quibus opinio hæc convelli penitus & destrui posset, taceamus. Alii rursus animadvertentes Deum durante promissionis œconomia fideles per angelorum ministerium sæpe de voluntate sua erudiisse, hoc gratiæ signum apparitione angeli constituisse volunt, qui Abeli (ratione ferè simili, qua Danieli id accidit Dan. IX. vs. 23.) dixerit: *אתה חסרות אֵינְךָ עִמְּךָ מַלְאָכִים*, *vir desideriorum tu es. i. e. Deo gratus & acceptus.* vid. *Bocharti Hieroz. part. I. lib. 2. p. 539.* Sed quamvis angelos divini favoris nuncios aliquando fuisse non abnuamus, plurima tamen intercedunt, quò minùs

minus tali eos hinc munere fūctos fuisse asseverare liceat. Sa-  
crificia enim solo angeli sermone approbata unquam fuisse, nullo  
ex sacris paginis exemplo adstrui potest, nec ipsa textus verba  
tale quid præ se ferunt, cum nullibi istiusmodi expressiones, qua-  
les hinc obtinent, angelicæ apparitioni accommodentur. Ut adeo  
& hæc nullâ probabilitatis specie se commendet conjectura.

§. VIII.

Quamobrem, (ut reliquas ejusdem furfuris opiniones silen-  
tium involvamus peplo) in enodatione hujus rei omne tulisse pun-  
ctum merito censentur, qui Deum demisso cœlitus igne Sacrifi-  
cium Abelis approbasse, sibi persuadent: quam proinde senten-  
tiam egregiis rationibus nixam, & eruditissimorum quoque ho-  
minum judiciis assertam, lubentes exosculamur. Quandoqui-  
dem verò homines non rationibus tantum sed & auctoritate duci  
solent, operæ forsân pretium facturi erimus, si quibusnam sen-  
tentia hæc superbiat patronis, in antecessum indicemus. Innu-  
meram autem eorum qui calculum illi suum apposuerunt, seriem  
contexere licet, ex quibus tamen eos tantum qui eruditionis &  
famæ gloriâ reliquis præfulgent, in scenam producemus. Ex  
Hebræorum Doctoribus sententia hæc defensores agnoscit præ-  
cipuè *Abarbanelem* & *Salom. Jarchi*. Prior mentem suam apertè  
exponit in *Perusch Hattora* pag. 36. his verbis: *Et meminist Scriptura,*  
*quod respexerit Deus ad Abelem, ad Cainum verò & ad munus ejus non*  
*respexerit: & tum qua ratione hoc factum sit edisserit* וְהָיָה זֶה אִם  
*שִׁירָר אֵשׁ מִלִּפְנֵי יי' וְתֹאכַל אֶת הַמִּנְחָה*. *Et hoc fit cum descendit ignis*  
*à facie Jehovæ, & consumit sacrificium.* In eandem sententiam con-  
spirat *Jarchius*, textus nostri verba hac paraphrasi illustrans:  
*descendit ignis & consumpsit eius sacrificium.* Inter Christianos quoque istiusmodi explicationem non heri aut  
nudius tertius in lucem protractam esse, antiqua *Theodotionis*  
(quem II. post Ch. N. Seculo floruisse vel inde constat, quoniam  
*Irenæus* ipsius mentionem jam injicit) versio, quæ וְיִשַׁע per *εὐ-*  
*μεία* transtulit, sat aperte evincit. Niveum huic versioni ad-  
dit lapillum *Hieronymus* in tradit. Hebr. Unde scire poterat *Cain*, quod  
*fratris ejus munera suscepisset Deus? nisi illa interpretatio vera esset, quam*  
*Theodotion posuit.* In eandem propendet sententiam *Cyprianus* lib.  
de

30.  
2.  
36.  
25.  
9.  
23  
10.  
24  
21  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.

de Nat. Christ. ita scribens: Abel pastor munera quaedam de gregibus ovium obtulit, quae in eo quod caelitus inflammari visa sint, quam grata essent Deo omnibus innotuit. Huic succedat Cyrillus lib. I. Glaphyr. sic differens: Ἐπὶ μὲν τοῖς τῷ Ἀβὲλ δαίροις πῦρ καθὲν ἐγένεθ' ἀπανόδιον τοῦ θεοῦ καταστρέφει τὰ ἱερόματα. Ἐπὶ δὲ Κάιν καὶ Ἰνὴ ταῖς θυσίαις αὐτῶν ἡ ἀποσέγε Φησὶν ἡ γὰρ τὸ σύνθετος ἐπιπέσει πῦρ τοῖς προσηνευμένοις. Eandem tuerur sententiam Autor Fasciculi Myrrhae hunc in modum: Descendit ignis à Domino, & consumpsit adipem, atque ita benevolentiam suam ergà Abelem & munus ejus declaravit. Vid. etiam Procopium in Genes. Faustum Rhegiensem lib. II. de lib. Arbit. cap. 6. Chrysostomum in cap. XI. ad Hebr. Inter clari nominis Theologos, qui nostram ætatem propius attingunt, paucos invenimus, qui huic sententiæ non subscribant. Apprimè huc faciunt verba Lutheri ad Gen. IV. vers. 3. Etsi Moses illud signum, quo Deus ostendit sibi Abelis munera grata esse, non ostendit, tamen verisimile est fuisse ignem caelo demissum, quo oblatio hausta & consumpta in oculis omnium. Et ut reliquos qui magno numero se offerunt missos faciam, agmen horum omnium claudant verba immortalis memoriæ Theologi Magni nostri COCCEJI, quæ Summ. Theol. cap. 53. §. 2. extant: Deus ad Sacrificium Abelis respexit. i. e. fecit aliquid quod & Cain potuit observare, quo testaretur sibi munus Abelis in fide oblatum gratum esse, quod vix aliud potuit esse quam ἐμπνευστὸς seu inflammatio doni per caelestem ignem.

## §. IX.

Non levibus autem viros hosce celeberrimos argumentis inductos fuisse oportet, ut ita verborum sensum explanarent, ideoque operæ pretium nos facturos confidimus, si quibusnam ea interpretatio nixa sit fulcris, nunc paucis expendamus. Viam ad id nobis quasi sternit, locus insignis Hebr. XI. 4. (ex quo lucem aliquam huic rei inferri posse Cl. Pareo Comm. in b. l. quoque visum) ubi Abel justificationis à Deo testimonio ornatus dicitur, quando sc. Deus testimonium super donis ejus perhibuerit. Ex hoc enim loco apertè saltem colligitur, Deum externo quodam signo effecisse, ut favor suus ergà Abelem ipsiusque oblationem omnibus palàm innotesceret. Nimis siquidem verba Spiritus Sancti coarctant, qui testimonium hoc soli illuxisse Abeli pertendunt, cujus sc. animo Deus arcano Spiritus sui afflatu, favoris & amoris sui sensum

sum inspiraverit, quod licet factum fuisse non negemus, cum illo tamen magis conspicuum signum conjunctum fuisse non repugnat, *συνεπιμαρτυρεντ τὸ θεὸς ἡμείοις*. Hebr. II. 4. Nec adversarios nos quoque habebit, si quis Apostolum h. l. digitum intendisse simul putet ad verba Christi Matth. XXIII. vs. 35. quibus Abelem elogio Justii ornat; quem Abelis titulum tum temporis communem, & Judæorum ore frequentatum fuisse locus 1. Joh. III. 12. persuadet, ejusque originem ex insigni hoc & publico justificationis sacramento derivandam esse admodum videtur probabile: Hæc omnia namque cum nostra sententia conciliari commodè possunt, nec necessum est, ut uno posito statim tollatur alterum. Quin imò quisquis præjudicio non fasciatus verborum emphasin paulò accuratiùs pensitaverit, lubens fatebitur, his omnibus externum aliquod & insensu incurrens testimonium jungi debuisse. Ut enim nihil commemorem ipsam verbi *μαρτυρεν* vim & significationem hoc inferre, cum ut plurimum notet testimonium publicum signis claris & perspicuis perhibere, unde apud profanæ eruditionis auctores sæpius pro *ἐμφάνειν* q. e. ob oculos quasi ponere & repræsentare, usurpatur v. *Lexic. Dec. Auct.* Unde quæso Cain Dei ergà fratris oblationem, favorem tam subito cognoscere? Unde invidiæ ergà ipsum œstro percitus, tantum animo irarum æstum concipere potuit, ut illum non nisi fratris sanguine extingui posse putaverit? Unde inquam hæc omnia? nisi Deus evidentem gratiæ ergà fratrem demonstrationem, in signis externis se exferentem edidisset, quæ proinde amoris divini argumenta Cain converterit in odii alimenta: Et hoc eò magis, quoniam impietatem suam jam non ampliùs pectoris penetralibus inclusam latere, sed conspectui parentum totiusque familiæ paternæ, quam solenni huic actui interfuisse, verisimile est \* publicè expositam animadvertibat. Unde optimè ex eodem loco argumentatur *Glossus Rhet. Sacr. lib. V. p. 1576. ad verb. Gen. IV. 4.* ita differens: *Non verò internum solum Jehovah beneplacitam, sed externam etiam declarationem ejus intelligendam esse ex sequenti Caini iracundia apparet.*

B

J. X.

\* Unde ad verbum *הבין* adduxit. *Abenezra subaudit. AD LOCUM ORATIONI DESTINATUM.*

Ex his igitur cum apertè satis conficiatur signum aliquod sub sensu cadens approbationi hujus sacrificii inserviisse, ordo monet, ut istud non aliud quam ignem *εργον τετι* fuisse, palam faciamus. Quod si enim temporis hujus statum nobis paulisper in memoriam revocemus, liquidò constabit, aptius favoris divini *πικνέρον*, hominumque istius ævi conditioni magis congruens excogitari nequaquam posse. Obducta quidem per lapsum tenebris quibusdam imago Dei in homine erat, sed tamen nondum ita in ista mundi infantia depravata, ut Deum ab omni corporeitate exemptum terreno istiusmodi cultu affici, persuasum haberent: Unde mirum planè ipsis ac fastigio summi Numinis inconveniens videri facile poterat, si illud odore Sacrificiorum & carniū combustarum per se ingrato venerari, animum inducerent. Et quamvis Sacrificiorum cultum primis mortalibus non rationis lumen, sed divina institutio suggesserit, hoc tamen parùm obstabat, quò minus humano ingenio jam tum in deterius verso, pessimisque præjudiciis facile succumbenti, varii circa hanc rem scrupuli qui illud in transvorsum agerent, subnascerentur. Huic malo medelam paravit, omnibusque oppositionibus viam obsepevit Sapientissimum Numen, quando miraculosa ignis in Sacrificia fidelium immisione, eo Ecclesiæ tempore quo verbo *εγχεφω* nondum instructa erat, subinde declaravit, quod hac passione Messia depingendi ratione delectaretur: quo pacto proinde omni ampliori dubitationi nervi incidebantur, nec perversis ratiociniis locus relinquebatur, cum conspicerent Deum Sacrificiis in fide sibi oblatis tantum pretium statuere, ut ad gratiosum quo in offerentes feratur affectum declarandum, etiam fixas alioquin & immutabiles naturæ leges suspendere voluerit. Siquidem ignem cùsquam tanquam levissimi elementi indoles aliàs est, ut ascendat sursum, hinc miraculoso & naturæ cursum longè excedente modo, deorsum in sacrificia supernè descendentem, non sine summo stupore animadvertere licebat: ut aded de voluntate Dei nemo dubius amplius hæreret, aut in re tam clara difficultates necere posset. Vid. *Abarbanelem apud Buxtorfium in Histor. Ign. Sacr. Cap. IV. ut & Viri Celeb. Job. Meyeri Annot. in Seder Olam pag. 847. & seqq.*

Porrò cum Deus ipse Sacrificia toties panem suum, (quo nomine Hebræi pro omni cibo utuntur. vid. Gen. III. 19. Lev. III. 11. Jud. XIII. 16.) vocet, quod vice plus simplici ab ipso factum legimus. vid. Lev. XXI. 6, 8, 17, 21, 22. Ezech. XLIV. 7. eo ipso sacrificia imaginem quandam epularum sibi sacrarum gerere haud obscurum indicium præbet. Quoties igitur victimas cæderent, Deum ipsum quasi ad convivium exstructasque epulis mensas invitabant, annexo voto calidissimo, ut eas de manibus suis cum beneplacito accipere dignaretur. Exauditarum verò precum argumentum capiebant certissimum, quando ignis  $\text{ἑν-λατ}$  in quo Deus singulari & augustissimo modo præsentiam suam manifestabat, \* appositas sacrificiorum carnes absumebat. Ipse hoc pacto cum illis accubare, & sub augusta ignis specie convivio sacro interesse, & illa tanquam cibum gratum (quatenus scil. obedientiam illius, qui Psalm. LXIX. 10. de se profite-

B 2

\* Sub ignis signo Deum in sacris sepe apparuisse legimus e. gr. in rubo ardente Exod. III. 2. in monte Sinai Exod. XIX. 18. Quid? quod Gentiles ipsi lucem claram & collucentes ignes Deorum præsentia signum esse, à maligno spiritu illusi, crediderint. Quare OVIDIUS lib. IV. Metamorph. de adventu Bacchi canit:

Tecta repente quasi pinguesque ardere videntur  
Lampades, & rutilis collucent ignibus ædes.

Et NONNUS lib. VII. de Jove ad Semelen veniente,

$\text{Καὶ Ἰλίαν ἑροπῆσιν ἐλάμπειτο, καὶ πύρος ἄτρως  
Ἴσμωνὸς στελαγίζεν ὄλη δ' ἀμαρούθετο Θῆσση.$

Vid. quoque Homeri Odysf. τ. vers. 33. & 6 seqq. & Ovidii lib. III. Fastorum vs. 285. Præsertim verò ignem sacrasacientibus saltuatim per cælum profundum apparentem, (cujusmodi apparitio  $\text{ἐναισθὸν πῦρ}$  dicebatur) præsentis Numinis fuisse Symbolum, ex MICHAELE PSELLO & GEMISTO PLETHONE docet THOMAS STANLEJUS in Histor. Philosf. Orient. lib. I. sect. 2. cap. 30. Imò in Zoroastris oraculis Deus passim describitur vocibus  $\text{Φάτ}$ ,  $\text{Ἄνυαί}$ ,  $\text{Φέγισ}$ , & expressè  $\text{πῦρ}$ ,  $\text{πυρὸν πῦρ}$ , &  $\text{ὑπερπυρὸν πῦρ}$  ibidem subinde nominatur: videfis etiam PE-TRI BURMANNI Jovem Fulgeratorem Cap. V.

fitetur. *Zelus domus tua comedit me*, adumbrabant,) \* comedere censebatur, quod quantum ad ingenerandum animis piorum summæ lætitiæ sensum valuerit, cuius ad oculum patet. Quamobrem cum sacrificia jam à primis mundi incunabulis talem obtinuerint *ἕσπον*, quidni exinde conjecturæ nostræ firmandæ robur accederet, fidemque faceret, Abelem exprimitiis ovium suarum præstantissimis (ita enim *מחלבתן* verti debet.) Deo sacrificium parantem, publico hoc omniumque oculos perstringente testimonio, divinæ gratiæ pignus accepisse, quo destitutus Cain iram Dei in se concitatam esse, facili quoque negotio colligere poterat. Ne enim absurda hominum ad arcanos rerum spiritualium sensus non penetrantium animos intraret opinio, Deum *δουλοῦσθε τῷ κυρίῳ ἀγαπᾶτε αὐτὸν ὡς τὸν κύριον καὶ ὡς τὸν πλησίον*, ut falsè gentilium cultum, impiorum signifer iste Porphyrius lib. II. *περὶ ἀνομιῶν* perstringit, aut ac si ipsi altaria thure Sabæo & opimis sacrificiis calida in deliciis essent, non omnibus promiscuè oblationibus illustri hoc beneplaciti sui signo testimonium perhibuit, nec indigno cuiquam istiusmodi gratiæ symbolum porrexit. Et hoc modo calcar ipsis strenuè addebatur, ut vitam in posterum in melius commutarent, virtutisque semitam impigrè calcarent, imò nullam sibi prius indulgerent quietem, quàm divini favoris radiis etiam se collustrari sensissent.

§. XII.

\* Originem hinc forsàn traxit Talmudistarum traditio, in igne illo cœlesti Leonis semper apparuisse speciem asserens. Unde quidam foco altaris nomen *לֵוִי* Leonis fortis competere volunt, quamvis tamen alii à *לֵוִי* & *לֵוִי* natales ejus vocis arcessant. vid. LIGHTFOOTI *Descript. templi Hierosol.* cap. XXXIV. p. 636. Innære hoc ipso Hebræorum Doctores voluerunt ignem cœlestem carnes sacrificiorum aequè citò devorare, ac Leo rapacissimum ac voracissimum animal prædam discerpit, atque dilaniat. Sic in tractat. Talmud. *FOMA* cap. 1. ignis disertè dicitur *רבוצה כארי* recubasse sicut leo, quod in lib. *Tôras haôla* part III. cap. 2. ita explicatur *היתה רבוצה כארי הרורס ואוכל ומזונו מצוייה* i. e. Cubuit instar leonis discerpentis, comedentis, & alimento suo abundantis. vid. KIMCHIUM ap. Buxtorfsum in *Hist. ign. sacr.* & VILLALPANDUM ap. Capellum in *Descript. Templi.* it. PAULUM FAGIUM in annot. ad Paraphr. Chald. Onkelosi, Gen. IV.

Dicitur insuper fidem conciliat sacrificii ipsius natura, cui hic approbandi modus peculiaris quam maximè erat. Nam Holocaustum pacificum fuisse viri Doctissimi jamdudum invictis argumentis probatum dedere. vid. B. Hier. Guil. Snabelii, illustris nostri Lycei quondam Professoris Celeberrimi *Dissert. de Abele typo Christi, & Ursini Miscell. Sacr. lib. V.* Et holocaustorum quidem diserta tantùm in promissionis œconomia mentio injicitur vid. Gen. XXII. & Job. XLII. non exclusis tamen sacrificiis Eucharisticis, ab Holocaustis paululum diversis. vid. Cl. Buddei *Hist. Eccles. V. T. p. 384.* Ejusmodi autem Sacrificiis extraordinariam hanc approbationem modò contigisse, exempla in sacris luculenter factis demonstrant. De Holocaustis res extrà ambiguitatem evidens est. In *שלמים* verò idem quandoque accidisse ex 2. Chron. VIII. 1 patet, ubi ignis *degeneratis* consumsit non tantum *העולה* sed & *הזבחים* alias victimas, adde Lev. IX. 24. ubi sacrificium *הזבחים* quod idem ferè cum *שלמים* fuisse ex Lev. III. colligitur, cœlesti flamma combustum legitur. Sed regeret forsàn quis ficulneum quod ex oblationis hujus natura cuditur argumentum esse, nec nisi obtorto collo hanc inde consequentiam elici posse, cum Sacrificia Eucharistica & Holocausta non semper novo igne cœlesti accensa sint, sed frequentissimè eo qui antea quidem è cœlo delapsus, deinde verò à Patriarchis sedulò custoditus fuerit, ut eo sacrificia sua accendere possent; nihil opus igitur esse ut statim miraculum excogitetur, ubi ordinaria tamen ratio locum obtinere potuerit. Sed hæc causam nostram non altè vulnerat objectio. Præterquam enim quòd rem de qua controversa movetur hoc pacto planè indecisam relinquunt, ponamus quæso primos fratres ignis sacri in parentis foculo asservati, portionem secum adportasse, eoque sacrificia combussisse, quàmnam tunc prærogativa Abelis munus conspicuum fuisse dicent? cum utrumque Sacrificium eundem sortitum fuerit exitum. Sanè ut hinc se expediant, aliud quoddam signum minùs adhuc congruum comminisci necessum habent, & sic iisdem difficultatibus, ob quas sententiæ nostræ repudium mittunt, constricti tenentur.

Clarissimam denique rei lucem inferent exempla hunc sacrificia approbandi morem Deo perquam familiarem fuisse evincentia, quorum magnam in sacris messem metere habemus. Et emundioris quidem inter Judæorum Doctores naris homines, quotiescunque Deum sacrificium aliquod gratiosè acceptâsse legunt, quamvis nec modi quo istud peractum, nec signi quo divulgatum sit expressa appareant vestigia, absque hæcitate ad ἐμπνευσµὸν se recipiunt. Ita cum verbum שעה hoc loco adhibitum respectum cum favore & benevolentia conjunctum importare animadvertent, de ἐμπνευσµῶ sermonem esse præter adductos §. VIII. celebris quoque ille Judæismi ὑπεργραµµατῆς Abenezra judicat. Imò hoc quoque sensu accipiunt phrasin quæ de Noachi Sacrificio adhibetur Gen. VIII. 21. וירח יהוה את־דורת הנחת *Et odoratus est Dominus odorem quietis*, quæ proinde Chaldæus optime de benevola Sacrificii acceptatione interpretatus est; וקביל יהוה ברעואית קרבניה; *Et suscepit Deus cum beneplacito oblationem ejus*. In Abrahami Sacrificio Genes. XV. expressiora hujus miraculi cernere licet rudera. Memoratur furnus fumans & lampas ignea quæ transferit בין הגזרים ἀναμέσεν πῶν διχοσταµηµάτων, *inter segmenta & divisiones ipsas*. Quo ipso hoc miraculum innui, optimorum interpretum consentiunt suffragia. Rectissimè quoque ad h. l. notavit aureum illud divinæ eloquentiæ os Divus *Chrysostronus* per lampada igneam τῆς Θεοῦ ἐνεργείας παρουσίαν designari, cum Dei præsentia se in hoc igne gloriosè manifestaverit.

§. XIV.

Appositum non minùs ad rem quam tractamus est illud, quod 1. Chron. VI. & VII. de Templi Salomonæi inauguratione legitur, ubi Salomon exploraturus num Deo structura domus, quam molitus fuerat, cordi esset, sacrificia prius ipsi immolari iussit, & tum ejus gratiam atque favorem ardentissimis ambivit precibus. Quibus finitis Deus sacrificiis sibi immolatis cœlestem immittendo ignem, publicè testatum fecit factum regis omnem mereri laudem, & sibi non displicuisse. Et hoc miraculum in dedicatione altarium semper adhibitum fuisse, recepta Hebræis est sententia, ut ex verbis *Abarhanelis à Buxtorfo* lib. cit. adductis colligere est.

est. vid. quoque *Meyeri* Annot. in *Seder Olam*. p. 634. & 5. Huic adungi meretur alterum non minus memorabile hujus rei exemplum, quod incertamine *Elia* cum Sacerdotibus Baaliticis contigit i. *Reg.* XVIII. 38. quod cum sua luce radiet, illud proluxa paraphrasi illustrare supervacaneum ducimus. Loca plura idem adstruentia vid. *Judic.* cap. VI. vs. 21, 22. ubi de Sacrif. *Gideonis*. *Judic.* XIII. vs. 16. de *Manoæ* Sacrif. & i. *Paralip.* XXI. 26. de *Davidis* Sacrif. in area *Arnani* *Jebusitæ* agitur.

§. XV.

Summum itaque felicitatis fastigium se attigisse censebant fideles, quorum pietas illustri cœlestis flammæ testimonio in lucem publicam fuerat protracta, adeo ut viris summum imperii clavum tenentibus, nihil ferè magis in votis fuerit, quam ut hic prosperitati suæ cumulus adderetur. Cujus rei populus Dei probè callens cum Regem suum gravissimas angustias subiturum piis prosequeretur votis, in hæc quoque prorupit verba, quibus ad hujusmodi miraculum dubio procul alludit *Psalm.* XX. vers. 3. זָכֹר כָּל מִנְחֹתֶיךָ וְעֹלֹתֶיךָ וְזִשְׁנֶה Recordetur oblationum tuarum omnium, & Holocaustum tuum incineret: ad quæ verba *R. Kimchi*: כלומר כְּלוֹמַר זָכֹר כָּל מִנְחֹתֶיךָ וְעֹלֹתֶיךָ וְזִשְׁנֶה i. e. quasi dicerent, ut immittat ignem ad illa consumenda, & ea benevolè suspiciat. vid. *Buxtorfium* l. c. & *Bocharti Hierozoic.* part. I. lib. 2. cap. 35. Quæ cum singula apertè satis inferant, Deum ἐμπροσθεν suam erga offerentes benevolentiam declarare fuisse solitum, proclivis est suspicio, phrasi hîc adhibitâ, quæ benevoli ad Sacrificium respectus significationem sustinet, idem planè testimonium designari. Trita enim logicorum regula, quæ similitum similem esse rationem docet, hîc quoque vim suam obtinet, cum quare *Abel* Sacrificanti Deus aliam potissimum favoris tesseram, cujus in sacra posterioris ævi Historia ne vola quidem aut vestigium exstet, exhibere voluerit, nullo probabili argumento adstrui possit. Cum itaque his omnibus sua constet veritas, argumentum hoc latius deducere, consultum non ducimus. Pedem potius promovemus ad contemplationem rerum quæ huic materiæ propinquâ cognatione adherent.

§. XVI

Insignis ponderis quæstio hîc statim ab initio moveri posset, cur Deus ignem potissimum gratiæ suæ erga sacrificantes esse voluerit indicium. Quamvis enim abstrusæ Dei viæ nulla humani ingenii vi exhauriri queant, radiantes tamen divinæ sapientiæ stricturæ ex iis undique ita effulgent, ut lucis usu orbatum esse oporteat, qui ad istas visu non pertingat. In decidenda hac quæstione sollicitè versatur *Abarbenel Comment. in leg. Sect. ידו* cujus rationes haud improbandas *Cl. Buxtorfius in Hist. Ign. S.* prolixè attulit, & hîc nobis otia fecit. Vide quoque *Cl. J. Meyeri Ann. in Sed. Ol. p. 847.* Commodè huç etiam trahi possunt, quæ §. X. in medium jam sunt allata, & rationis non spernendæ vices sustinent. Præterea omnibus hoc pacto palam innotuit, nullum ex victimarum utut pretiosissimarum immolatione ad Deum redundare fructum. Unde candidum merentur lapillum verba *Chrysostomi* quæ de eodem argumento fundit *Homil. 26. in Genes. Et propterea concessit ut ignis consumerentur, ut ex iis, quæ sunt discant etiam ii qui offerunt, quod omnia fiant propter suam utilitatem non Dei.* Nullâ enim Sacrificiorum se capi delectatione, gravibus aliquoties testatur verbis, vid. *Psal. L. 13. Ec. I. II. Psal. XL. 7, 8, 9.* Ut proinde cedro dignissima sint verba *Clementis Alexandrini Stromat. lib. VII. p. 514.* Ουδὲ ἑμοιοπαθῆς εἶδὲ ἐνδεῆς καὶ ἰατρῆ τῶ γεννητοῦ, ὡς Ἰουδαίων δίκην τραφῆς εἶδὲ λιμὸν ἑπιθυμῆν ὡν ἀπτεται παῖθ' ὁ, φθαρτὸν πάντα ἐστὶ. Καὶ τῷ μὴ τρεφομένῳ προσάγειν βοσὴν μάταιον.

§. XVII.

Verum enim verò cum totus ille corporalis cultus tam sub promissione quam sub V. T. fuerit typicus, & πνευματικὴν habuerit δόξα, hinc altius hujus rei causæ arcessendæ sunt. Spatiofior differendi hîc se nobis aperiret campus, quem brevioribus lineis dimetiri integrum non esset, si veritatis nucleum sub umbræ hujus putamine latentem, sub divum rapere, animus ferret. Nunc autem cum peculiarem hæc materia requirat tractationem, quam instituti ratio & angusti, quibus nos ipsos circumscriptissimus limites respuunt, L. B. ad viros Celeb. qui in mystica cœlestis ignis significatione indaganda, singulari cum industria & ingenii acumine styllum exercuerunt, & quidnam ille pro vario suo  
& al-

& altaris respectu adumbraverit diligenti scrutinio non tantum investigarunt, sed & feliciter enuclearunt, remittimus. vid. *Celeb. Campegii Vitrinae Observ. Sacr.* lib. IV. cap. XV. p. 1067 — 69. *Fesselium in regno Christi Mystico* p. 666. & seqq. *Witsii Oeconom. Foed. Dei* p. 493. *eiusdem Miscell. Sacr.* lib. II. p. 413. *Heideggeri Hist. Patr. P. I.* pag. 106. *Cloppenburgii Schol. Sacrif.* cap. III. §. 9. & 10. *Franzii Schol. Sacr. Disp. V.* p. 214. *Horchii Dissert. de Igne Sacro* p. 25. & seqq. *Momme Oeconom. Patr.* p. 30. *Bernh. Hermkhuyfen Wet der Schdurven* p. 206. & seqq. *Nicol. Schiere. Doctrinam Testamentorum Div.* pag. 351. & praesertim *Joachimi Langii* כַּזָּר אֵל אוֹתוֹ sive *Mysterium Christi & Christianismi Part. I. Sect. I.* de Tabernac. ubi latissimè hoc argumentum profertur.

§. XVIII.

Propius praesens institutum tangit quaestio, quanam approbati Sacrificii Abelis & rejecti Caini causa statuenda sit? hæc igitur paulò accuratiori examine ventilanda erit. Hiç autem tot videas sententias.

— quot divitiis ostia Nili.

Omnes futilitatis numeros implet illepidum Judæorum quorundam figmentum, quod recensetur in *Jalkuth Chadash.* fol. 6. col. i. num. 72. discrimen in eo collocans, quod Abel minorem quidem Sacrificii partem Satanae, præcipuam autem Deo consecraverit. Cain contra præstantissimam muneris sui portionem Satanae devoverit, & alteram tantum Deo obtulerit, cui profano commento, nemo cui quidem cerebri unciola suppetit, assensum facillè præbebit. *PHILO de Sacrif. Caini & Abelis.* duplicem rejecti Sacrificii Caini causam allegat: Primam quidem quod non statim istud sed post aliquot demum dies Deo obtulerit; Alteram verò in eo constituit, quod ex frugibus terra non autem ex primitiis munus eius constiterit. Vestigia ejus premit quoque *AMBROSIUS* lib. I. de Caino & Abele cap. VII. *JOSEPHUS* lib. I. *Agx.* cap. III. Sacrificii Abelis præstantiam in eo collocat, quod constaret *Ἀυτιμάτοις καὶ κατὰ φύσιν γενοῦσι*, cum Cain è diametro munus suum terræ quasi extorsisset, vid. *R. Levi in Chinnuk* uberius hæc explanantem. Idem sentire videtur *LIGTFOOTUS* in *Observ. in Genes.* p. 154. Alii Cainum avaritiæ reum agunt, & illum parcâ, fratrem autem liberaliori manu obtulisse censent, quos inter *CYRILLUS* est ad-

C vers.

30.  
21.  
22.  
23.  
24.  
25.  
26.  
27.  
28.  
29.  
30.  
31.  
32.  
33.  
34.  
35.  
36.  
37.

vers. Julian. 349. quibus subscribunt, qui paleas inanes & excussas à Caino oblatas fuisse perhibent. Sic enim GOTHEFRIDUS VITERBIENSIS Chron. p. 2.

Primus Abel justus Domino prius obtulit agnum,  
Obtulit & paleas excusso semine frater.

Quare Abeli frequenter hæc vox tribuitur.

Sacrum pingue dabo nec macrum sacrificabo.

Cui Cainum repoluisse ferunt,

Sacrificabo macrum, nec dabo pingue sacrum.

Quidam Hebræorum Cainum מורע פשתן de semine lini obtulisse, & hoc nomine Sacrificium ejus ingratum fuisse existimant. Nec desunt, qui Caini sacrificium rejectum volunt idèd, quoniam irarum astu adversus fratrem flagravit, quod asserit CHROMATIUS in Matth. cap. V. Sed (ut reliquas ejusdem communatis opiniones sicco pede præteream) hæc omnia non Scripturæ tantum sed sanæ quoque rationis destituta præsidio, nihil solidi sapiunt, & meritò idcirco jam pridem convulsa atque rejecta sunt à viris Celeberr. Heideggero Histor. Patr. p. 181 & seqq. Momma Oecon. Patr. p. 31. Saldeno in Ot. Theol. lib. II, Exerc. VI. J. H. Ursino Miscell. Sacr. p. 264 & seqq. §. XIX.

Nobis in veram hujus rei rationem facili negotio penetrare licet, cum Apostolo Paulo illam disertis verbis explicanti, fidem adhibentes, à veritatis tramite aberrare non queamus. Ille autem l. c. Hebr. XI. Fide Abelem obtulisse πλειονα θυσιων clarè profitetur. Ex ipsis quoque textus visceribus alia ratio erui non poterit. Cui enim quæso rei benevola Sacrificii Abelis approbatio accepta ferenda erit, nisi fidei? qua sine Nemo Deo potest placere. Hebr. XI, vs. 6. Nec hoc momento caret, quod Deus dicatur primò respexisse ad Abelem, & deinde ad munus ejus, quoniam sc. illud non ob præstantiam suam, sed propter personam gratam, quæ munus offerebat, favoris signo profectus fuerit. Ut sola adèd fides illud complacentiæ signum à Deo elicuerit, & ab hac tantum præstantiam Sacrificii Abelis derivari oporteat. Hanc enim oculi Domini respiciunt. Jerem. V. 3. qua Cainum hominem glebæ suæ adhærentem, & omne momentum in rebus seculi ponentem, destitutum fuisse, non fratricidium modò postea patratum, sed  
& cla-

& clarissima Scripturæ oracula manifestum reddunt, in quibus non unâ vice impietatis nota ipsi inuritur. Ita dicitur fuisse *ἐκ τῆς πορνῆς* 1. Joh. III. 12. & Apostoli impii & seductores dicuntur *πρῶτον τῆ ὁδοῦ τῆς Καίν* in Ep. Judæ vers. 11. Unde veritati exasse respondent, quæ hac de re disserit egregiè *CYPRIANUS de Orat. Dom. In Sacrificiis*, quæ prima Cain & Abel obtulerunt, non munera illorum Deus sed corda intuebatur, ut ille placeret in munere, qui placebat in corde. Abel pacificus & justus dum Deo sacrificat innocenter, docuit & cæteros quando ad altare munus suum afferunt, sic venire cum timore Dei, cum simplici corde, cum lege justitiæ, cum concordia pace. vid. quoque *Tertullianum adv. Judæos* cap. II. Et *adv. Marcionitas* lib. II, cap. 22. *Ambrosium* lib. II, cap. VII.

§. XX.

Si ergo rem totam in examinis æqui trutinam deducamus, Caino primum inter Justitiariorum locum assignari debere, sole clarius patebit. Fidei siquidem dono destitutus Judæorum in odio fratris, & propriæ justitiæ & operis operati fiduciâ typum gessit, & ob externam quandam prærogativam suprâ fratrem sese effrens, operariis istis de quibus Apostolus Rom. IX. & Gal. IV. agit, quodammodo jam prælusit. vid. *Reitzii Not. ad Goodw. Mos. & Aar.* In stulta enim versabatur opinione ac si ad cultum Deo exhibendum frigida istiusmodi sufficerent ceremoniæ, quæ *σωματικῆς γυμνασιᾶς* cum ritè defunctus esset, tum vero omnes se officii sui partes egregiè implevisse. \* Non itaque fide semen illud promif-

C 2

\* Pestifera hæc & fertile delictorum seminarium in sinu fovens opinio, etiam gentilium quorundam mentes corripuit, ut Deos iratos munerum oblatione permulceri posse sibi persuaaderent. Sic *OVIDIUS* lib. III, de A. A.

Munera crede mihi placant hominesque, Deosque  
Placatur donis Juppiter ipse datis.

Illosque *κνίσου* nidore delectari putarent, & *δωτὴν προσηδῶν καὶ ἀνοπίαν τρυφῶν* τῆ καὶ ἀφνειῶν ἐναπομῆδης assidere epulo & cum benevolentia occurrere agnorum & taurorum becatombis. vid. quoque *HOMERI Iliad.* I. vers. 495. & seqq. it. *Odyss.* η. vers. 199. & seqq.

30.  
1  
2  
3  
36  
25  
9  
22  
10  
24  
21  
13  
14  
15  
16  
17

missum cujus spe unice se erigere debuisset, complexus est, sed in symbolis his externis tantum acquievit. Cum Abel è contrario salutari de Messia doctrinæ à puero probè innutritus longè diversas animo volveret cogitationes, nec cortici ita infixus hæreret ut non simul per externa hæc & visibilia, ad sublimiorum rerum cogitationes eveheretur. Fide namque quæ ἐπιζοιμένων ὁπίσταις, ἀσχημάτων ἐλεγχῶ & βλεπομένων audit Hebr. XI. in mentem sibi revocabat prædictas in Proteuangelio seminis mulieris passiones, quod vicarias generis humani pœnas aliquando in se suscepturum, piè credebat. In ipsa agni jugulatione irretorto fidei oculo intentus erat ad sanguinem Messia longè pretiosiorum, qui solus eluendis hominum noxis sufficeret, & sic expiationis peccatorum mysterium, sub typo hoc non obscurè adumbratum, fide sibi ob oculos ponebat.

f. XXI.

Antequam dissertationis filum abrumpam, coronidis loco attexere paucis liceat, quæ sparsim in gentiliū libris nondum penitus erasa de eodem argumento conspiciuntur vestigia. Diabolum quippe callidissimum veritatis interpolatorem & Dei Siniā multa cultoribus suis injunxisse, quæ in institutis Dei sacris observaverat, & reverentiam illi debitam in se derivare summā vi contendisse, cuilibet antiquitatis scrinia excutienti, liquidò constabit. Ita quæ de Sacrificiis, lotionibus, suffimentis, fertis, reliquisque ceremoniis sacris populo suo injunxerat summum Numen, eorum omnium umbram quandam in Ethnicorum religione apparere videmus. Ex instituto hoc argumentum illustrant, HENRICUS à MONTE ACUTO in *Mimica Dæmonis* & DILHERRUS in *Diss. de κεινοῖς Gentil.* Nonnulla quoque Gentiliū moratiorēs *Aegyptii* præsertim, *Phœnices*, *Græci* & *Romani* ex S. literarum lectione, & qualicunque cum Judæis familiaritate hauserunt, & ad veritates illas fabulas suas effinxerunt. Quæ enim de

---

seqq. LUCIANI *Icaromenippum* p. 710. ed. Bas. tom. I. *quamvis* *Saniores tamen inter illos longè rectius senserint.* vid. PLATONIS *Eutyphr.* p. 53. SENECAM de *Benefic.* lib. II. c. 6. ZALEUCUM ap. Diodorum *Siculum* lib. XII. & *Isocratem ad Nicoclem.*

de Mundi creatione, Materia indigesta, Homini formatione, Diluvio, Mosis miraculis aliisque id genus rebus, in *Manethonis Aegyptii, Berosi, Hesiodi, Hecataei, Abydeni, Platonis, Homeri, Strabonis*, aliorumque Gentilium libris, multarum quamvis fabularum involucris obsepta extant rudera, ea ex nullo alio fonte manasse, demonstratione proluxa non indiget, cum hac provincia à viris eruditionis gloria insignibus, jamdudum occupata sit. vide *Philonem de vita Mosis* lib. II. *Mornaum de Verit. rel. Christ.* cap. XVI. *Grotium de eod. argumento* lib. I. *Vossium de Idolol.* lib. I. cap. 29. & 30. *Huetium in Demonstrat. Evang.* p. 237. & seqq. *Admod. Venerandi Dn. Praesidis Dissert. tertiam de Conviv. Hebraeor. Eucharisticis* pag. 35. & seqq. *J. Fr. Buddei Histor. Eccles. V. T.* pag. 139. & seqq.

## §. XXII.

Doctiores quoque inter priscae Ecclesiae Patres, qui ex sedula Auctorum profanorum lectione idcirco exactam religionis gentilium notitiam hauserant, ut proprio ipsos eò feliciter gladio conficere ac jugulare possent, in eam sunt ingressi sententiam, plurima in Ethnorum monumentis extare, quae Mosaicam doctrinam, quamvis non puram sed commentis foede adulteratam spirent. Huc collimat *JUSTINUS M. Apolog. II.* p. 176. scribens. *Moses antiquior est omnibus Graecorum Scriptoribus, & quicquid de immortalitate animarum de poenis inferorum, aut id genus aliis, Philosophi aut Poetae tradiderunt, à Prophetis occasionem ceperunt, tam sentiendi quam eloquendi talia.* Sic fit ut his omnibus inesse videantur quadam veritatis semina. Idem ferè de Platone fert iudicium *CLEMENS ALEXANDRINUS, Pedagog. lib. III. cap. 2.* p. 129. ubi eum *Ζηλωτὴν Μωϋσεως πάντοι ἀείψων* & *Stromat. lib. I. p. 100.* ἐξ Ἑβραίων Φιλόσοφον nuncupat. vid. *Tob. Pfannerum in System. Theol. Gent. purioris* cap. I. §. V. p. 15.

## §. XXIII.

Cum igitur in Sacris memoriae proditum legerent, ignem caelitus quandoque delapsum fuisse, in hunc errorem inciderunt ut statuerent eum ex caelo ortum trahere, adeoque divino adorationis cultu esse afficiendum. \* vid. *Stuckius de Sacrificiis* p. 154.

Lipsius

\* Unde Patriam Abrahami אור כשדים nonnulli Ignem Dæmonum in-

ter-

Lipſius de Veſtalibus. Dionyſ. Halicarnaſſeus lib. II. Audire hac de re juvat Clementem Alexandr. protrept. ad Gentes, ubi de Perſis ſcribit: Περσῶν οἱ Μάγοι πῦρ περιμήκασσι καὶ τῶν τῆν Ἀσίαν κατοικούντων ποδοί. Eorundem Πυρραΐα ſeu Πυρραΐα, à quibus flamines eorum Πυρραΐοι dicebantur, abundè quoque ſunt nota. \* Cui fuſius hac cognoſcere fuerit volupe, adeat Curtium lib. III. cap. 3. it. lib. IV. cap. 13. & 14. Hinc Ἀθήνασιν πῦρ ignem vocat Dionyſ. Halicarnaſſeus lib. VI. & Pausanias in Arcadicis πῦρ ἔποπε δποσβετυμένον. Farraginem exemplorum ignis cultum adſtruentium ſuppeditabunt. Iſidorus Origin. lib. 14. Feſſelius Adverſ. Sacr. tom. 2. Voſſius de Idolol. lib. II. cap. 64. Job. Jac. Cramerus in Diſſert. de Ara exterior. templi ſecundi. Huëtius Demonſtr. Evang. p. 136. & ſeqq. ubi apud Chaldaeos, Medos, Cappadoces, Phrygas, alioſque eundem viguiſſe, ſolidis auctorum teſtimoniis demonſtrat. add. Ezech, Spanhemii Diſſert. de Veſta & Prytan. Græc.

## §. XXIV.

Nec turpem tantum ex divina hac traditione idololatriæ arripuerunt occaſionem Gentiles, ſed inſuper ex iis quæ de flamma cœleſti victimis immiſſâ in Sacro cōdice memorantur, quædam delibata libris ſuis intexuerunt, quin & aſtu Diaboli decepti ignem ἔρνονεπρῆ ſacrificiis ſuis ſæpius immiſſum profiteri non erubuerunt. De Erycinis Siciliae populo tale quid memoriæ prodidit ÆLIANUS Hiſt. Animal. lib. X. cap. 50. Simile quid de Brachmanibus in medium profert AMMIANUS MARCELLINUS lib. XXIII. Feruntque ſi juſtum eſt credi, ignem cœlitus lapſum apud ſe æternis foculis cuſtodiri. PAUSANIAS lib. V. de duobus Lydiae oppidis narrat, arte magica ibi ἀνευπυρὸς πάντα ἀφῆναι τὰ ξύλα, καὶ περὶ φανῆ φλόγα ἐξ ἀντῶν ἐκλάμψαι. Facit huc quoque inſigniter præceptum PYTHAGORÆ quod apud Laërtium lib. VIII. de vit. Pythagoræ c. 13. legi-

terpretantur, quem ſcil. Chaldaei, quia de igne cœlitus delapſo fama ad eos percrebuerat, divinis conſecrarunt honoribus. vid. Chytraeum in Onomaſt. Sacr.

\* De Cultu hoc inter Perſas hodiernum nondum ſatis abolito. vid. Saldenum Syntagm. de Diis Syris & Spencerum de Leg. Hebr. lib. 2. cap. 8.

legitur, ubi Apollinis Genitoris aram ita adorari iussit: *Ἄγε τὸ πνεῦμα, καὶ κελύξος καὶ τὰ πόπανα μίνα πηροῦ ἐπ' αὐτῆ ἀνευπυρῶς.* Appianus in Syriacis de rege Seleuco narrat, ἐν Μακεδονίᾳ τὴν Ἐγναίαν αὐτῶ τὴν πατρῴαν ἐδεδὸς ἀφαντῶ ἐκλάμψαι πῦρ μέγα. Nullius ferè notitiam effugiunt, quæ *PLINIUS* lib. II. cap. 207. hac de re consignavit sc. In Salentino oppido Egnatia, imposito ligno in saxum quoddam Protinus flammam existere. Quamvis *Horatius* hanc traditionem cum itinere Brundusino Egnatiam pervenisset, falsè pro more suo ut fabulam perstringat, & plusquàm Satyrico perfundat aceto lib. I. Sal. 5. Observationem quoque merentur verba *SERVII* ad *Virgil.* *Æn.* XII. vers. 200.

*Audiat hæc genitor qui scædera fulmine sancit.*

*Confirmat, Sancta esse facit; quia cum sunt scædera si coruscatio fuerit, confirmantur, vel certè quia apud majores aræ non incendebantur, sed ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebat altaria.* Idem tradit *SILIUS ITALICUS* lib. I. v. 95.

*Immugit tellus, rumpitq; horrenda per umbras  
Sibila, inaccensi flagrant altaribus ignes,*

& paulo post addit

— *audito surgentes carmine flammæ.*

Nec minus notatu dignus exstat locus ap. *VIRGILIUM* *Ecl.* VIII. vers. 105.

*Aspice corripuit tremulis altaria flammis*

*Sponte suâ, dum ferre moror cinis ipse: bonum sit.*

Ad quæ verba *Servius* notat hoc uxori *Ciceronis* contigisse, cum post peractum sacrificium libare vellet, in cinere visam fuisse flammam quæ flamma ostenderit eodem anno consulem futurum ipsius maritum. vid. *Bocharti Hieroz.* part. I. pag. 363. & *Vitringæ Observ. Sacr.* lib. IV. p. 1062.

§. XXV.

Ex adductis *Servii* verbis apparet, istiusmodi miraculum non faustum tantum præbuisse omen, sed & illud pro futuri honoris aut imperii signo habitum fuisse. Prius egregiè confirmat *VIRGILIUS* *Georg.* lib. IV. vers. 384.

*Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam,  
Ter flamma ad summum tecti subiecta refulsit.  
Omne quo firmans animum, sic incipit ipsa.*

Impe-

30.  
1.  
2.  
36.  
25.  
93.  
10.  
24.  
21.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.

Imperium autem aliquando portendisse, *HERODOTUS* lib. I. Hist. qui *Clio* inscribitur, dubitare nos non sinit. Narrat enim illic parenti *Pisistrati* privato, *Olympia* spectanti evenisse μέγα τέρας, quod portentum postea describit his verbis: Θύσονται γὰρ αὐτῆ τὰ ἱερά, οἱ δὲ λέβητες ἐπεσεῶντες καὶ κρεῶντες ἔοντες ἔμπλεοι καὶ ὕδατος ἀνευ πυρὸς ἔξουσιν, καὶ ὑπερβαλον. Et hoc idem Scriptor ita à *Chilone* *Lacedæmonio* explicatum esse dicit, fore siquidem, ut quis ex posteris ipsius ad regiam dignitatem eveberetur. Bene itaque *Turnebus* *Advers.* lib. XIX. c. 27. observat, felicissimum fuisse augurium, cum vel subito vel sponte flamma in libamento exsiliret, & sursùm se altissimè efferret. Cui simile quid *VALERIUS MAXIMUS* lib. I. de *Maxima*, virginis *Æmiliae* discipula adducit. Quibus strophis hîc autem cultoribus suis sæpiùs illuserit, oculosquè eorum miserrimè fascinaverit male sagax *Dæmon*, de eo *Chrysostomus* apud *Hornium* in not. ad *Sulpic. Suveri* lib. I. c. 75. legi meretur. Plura (ne in allegandis auctorum verbis stylum nimis diffundamus) Lectori benevolo exempla suppeditabunt. *DION & ZOSIMUS* ap. *Ursinum Anal.* S. lib. 3. & *Bochartum* in *Phaleg.* & *Canaan.* p. 830. *SOPHOCLES* in *Antigon.* vers. 994. & in *Trachin.* v. 771. ap. *Gürtlerum* in *Origin. Mundi* p. 889. *SOLINUS* Cap. XXX. (al. XLIII.) *SUETONIUS* in *Augusto* cap. XCIV. *PROCOPIUS* lib. II. *Persic.* *PHÆDRUS* fab. LXVIII. *Huetius* in *Quest. Ainetan.* *Baile* in *Dict. Hist. & Critique.* Tom. II. *Brissonius* lib. II. de regno *Pers.* *Kircherus* Tom. I. *Oedip.* *Jobus Ludolphus* *Comment.* ad *Hist. Æthiop.* p. 302. *Meursius* *Cecrop.* 5. *Cerda* ad *Virgil Ecl.* VIII. *P. Burmannus* in *Jove Fulguratore* cap. IX. pag. 72. Et hîc quidem dissertationis vela contrahimus. Faxit interim *Benignissimum Numen*, ut ipsi totos nos zelo *Spiritus* sui inflammandos sistamus, in hostiam vivam, sanctam, placentem Deo. (Rom. XII. 1.) & in ejus conspectu puro sanctoq; amore flagrantes, suavissimum illi adoleamus incensum, imò ipsi perpetuò sacrificemus hostiam humilitatis & laudis in ara cordis, igne fervide charitatis, ut *Celebris Hipponensium Episcopi* verbis lib. XX. de *Civ. Dei* cap. 10. hanc commendationem finiam.

COROL:



## COROLLARIA,

I.

Creophagia ante diluvium fuit licita.

II.

Lectio כַּרְיִי Psalm. XXII, vs. 17. mendo caret, nec à Masorethis corrupta est.

III.

Molinæ, Cunæ, atque Gaillardi de Melchizedecò sententiæ non subscribimus.

IV.

Anni CCCCXXX. peregrinationis filiorum Israel, memorati Exod. XII, 40. à prima promissione Abrahamo facta initium ducunt.

V.

Circumcisionis ritum perperam ab Ægyptiis derivant Marshamus & Spencerus, nec Herodoti & Diodori Siculi testimoniis id solidè evincunt.

VI.

Lex Moralis sub Veteri Testamento æquè fuit perfecta ac sub Novo.

VII.

Vox | κάμηλον Matth. XIX, 24. non funem nauticum, sed Camelum animal Gibbosum denotat.

VIII.

Ex loco 1. Tim. II, vs. 4. Prædestinationi Universali nihil præsidii accedit.

IX.

Verba Josephi חַי פְּרַעוֹ Gen. XLII, vs. 16. Juramenti formulam non continent.

D

X. In

30.

2.

36.

25.

93.

10.

20.

21.

13.

14.

15.

16.

17.

X.

In celebratione Sacrae Cœnæ, nullum offertur Sa-  
crificium.

XI.

Sacramenta obsignant tantum gratiam, non confe-  
runt.

XII.

Fractio panis in Sacra Eucharistia non est ritus *aidia-*  
*φασ.*

---

DUM cupis ignotis procul innotescere terris,  
Ulterius nec Te jam mea Brema tener.  
En patrias fausto nunc sydere linquis Athenas,  
GONDELA, & alta petis, quæ secat arva Nicer.  
In nostro prius at victor certamine, Pindo  
Defigis lætâ pulchra tropæa manu.  
Nam dum primitias nobis exponis Abelis,  
Quas Deus immisso cœlitus igne probet.  
Hæ Tibi primitiæ sacri sunt, euge, laboris,  
Primaque militiæ jam spolia ista sacrae.  
Sed majora manent fatis, ultroque sequentur,  
Cum reducem excipiet Patria cara sinu.

*Juveni pio, erudito, modesto,  
elegantissima hujus dissertationis Auctori,  
Auditori suo quondam, ut assiduo,  
sic longè charissimo*

*L. M. Q. P.*

JOH. HAVIGHORST, P. P.  
Biblioth. & Pædagogearcha.

HONO.

## HONORIBUS

*Nobilissimi, Doctissimi, Ornatissimique Juvenis*

**DANIELIS GONDELA,**

Amici sui integerrimi, & fidi sibi in itinere

Achatis futuri,

cùm conscriptâ pereruditâ

De ΕΜΠΥΡΙΣΜΩ SACRIFICII

ABELIS

Dissertatione, Musis Patriis valediceret:

**E**Rgo IGNES docto memoras, *Charissime*, scripto;

Delicium ô animæ, *dulcis Amice*, meæ.

Non, quos *Japetides* liquidis furatus ab astris,

Ausus formatum *flammâ* animare lutum.

Non *veste æternos ignes*, quos *Virgo* repostos

Servavit *fidis* relligiosa focis.

Sed nec *suppositos cineri* quandoque *doloso*,

Qui *damna incauto* maxima ferre solent.

**H**is levibus *missis* animo *cœlestia* volvens,

Excutis *ætherei* nunc magis *Ignis* opus:

*Illustrans adventitiæ* miracula *flammæ*,

Quæ nata, *Abelis* jam *faciente manu*.

Cum *pastor lectum* mactans ab *ovilibus agnum*,

*Convertit vultum*, in *munera grata*, *Dei*;

Qui *sincerum* ejus *cœlesti fulgure* libum

*Incendit*, spreto, quod tulit inde *Caïn*,

Scilicet ut *sacro* Tibi *mens exæstuat igne*,

Nil nisi *divinum* spargit *amatque jubar*.

Et Tibi, dum *summo flagras ardore* sciendi,

*Doctrina* & *pietas* multa sub ore *nitet*.

*Ignis ingenii vigor*, & *vis indolis alta*,

Hoc & *flamma animi vivida*, *abunde probant*.

*Emicuit* ceu *lux* in *Pontificalibus aris*

*Fulgida*, *præsentem* testificata *Deum*:

Auspiciis sic rite Tuis addixit Olympus,  
 Dum quæris dubiis lamina ferre nova,  
 Macte animo! Mi chare, sacræque ale femina flamma!  
 Euge tot obscuris reddere perge facem!  
 Ut lumen nitidum semper splendebis in orbe,  
 Gloria quin humeris Te vehet ipsa suis.  
 Te præeunte sacro discentum corda calescent  
 Igne, trahetque animos religionis amor.  
 Exstinctique licet præsci sint fœderis ignes,  
 Et soliti quondam sacra adolere foci:  
 Grata tamen Domino Tua sic erit hostia summo,  
 Et chara ingenii victima pura Tui.  
 Quando Deo sacras offers holocausta per aras,  
 Atque illi laudis pectora plena sacras.  
 Nam bove mactato non gaudet sanctus Jöva,  
 Sed, quæ præstanda est & sine teste, fide.

L. M. Q.

sacrum facit

REINHARDUS MEIER:

SS. Th. &amp; Eleg. Litt. Cult.

L Inguis omnibus & favete votis  
 Qui Musas colitis severiores!  
 Dum nunc GONDELA disputationi  
 Offert materiam perelegantem,  
 Tactas cœlitus hostias, amoris  
 Divini indicium piaeq̃ue mentis,  
 Stipatas laborato melle chartas,  
 Quas quisquis legit exigitq̃ue chartas  
 Offendit nitidas & elegantes.  
 Plenas Numine, & improbi laboris  
 Testes, ingeniiq̃ue perpoliti.  
 O lætos igitur palam, quid obstat?  
 Sensus promite, tamq̃ue liberali

Modo

Modo dedite gloriam ac honores  
 Huic docto capiti ac amore digno,  
 Quàm vos largiter oppidò polità  
 Hac pascit recreatq̃ue nunc pagellà.  
 Qui Musas colitis severiores,  
 Linguis omnibus & favete votis!

*Ita honoribus Nobiliss. Dn. Auctoris  
 Amici sui desideratissimi  
 adplaudit*

G. C. SAGITTARIUS,  
 SS. Th. Stud.

**U**T libes vel *vota* Deo, vel *thuris honores*,  
 Oscula des *saxis*, ingeminesq̃ue *preces*.  
 Si tamen impietas latet alto pectore clausa  
 Et tua destituat munera sancta fides.  
 Nil epulæ profunt, nec enim *Pater* aspicit illas,  
 Convertitve oculos in tua *vota*, *Deus*.  
 Sed si mente piâ virtutem deperis *almam*,  
 Et Christum purâ noscis amare *fide*.  
 Tum tua *lata* Deus memori quoque *munera* mente  
 Respicit, & quævis *victima facta* litat.  
 Protinus in cineres depasta holocausta resolvit  
 Volvens flamma, suum, splendida, in astra, *jubar*  
 Comprobat *illa*, Cain, quo non truculentior alter,  
*Hæc*, Abel, quo non mitior alter erat.  
 Ambo pares annis, sed non virtutibus ambo,  
*Hic* pius, *ille* ferox; *Hic* pius *ille* reus.  
 Quæ dum præclaris, *doctissime* differis *ausis*  
 GONDELA, Laus patriæ celsa, decusq̃ue, tuæ  
 GONDELA, cui, dubito, primùm quid mirer inesse,  
*Ingeniûmne sagax*, *ingenuûmne animum*  
 Excoluit virtus *animum*, *ingeniûmque* *Camænæ*,  
 Successu, studio, consilioq̃ue pari,

Gra-

Gratuior, egregiis, DANIEL *carissime*, cœptis  
Quodque tua facie cogar abesse, *queror* :  
Sed facie, privata, tuâ, cum tempora cogar  
Ducere, inoblitâ te pietate colam.

*Honoris & Amoris ergo scribebat  
Eruditissimo nitidissima hujus  
Dissertationis Auctori*

Dno. DANIELI GONDELA,  
*Amico, amicis*


DANIEL GERDES, SS. Th.  
& Phil. Cultor.


—  
DUM pia victuris celebras altaria chartis,  
Atque sacrum, quo primus Abel veneranda Jehovahæ  
Numina placavit, delapsosque ætheris ignes,  
Pinguia mirandis depastos munera flammis,  
Fragra sibi, testante Deo, gratissima ferri :  
Quam Tibi sanctus inest, fibris quis inæstuat imis  
Ardor, & incensam sustollit in ardua mentem !  
Scilicet Abelem spirant Tua pectora justum :  
Abelis referunt Tua scripta sagacia donum,  
Quod Domino non vile sacras. Agnoscimus ignes  
Cœlitus illapsos flammatae, GONDELA, menti,  
Æthereis hinc veste rotis, sublimis Olympo  
Jungeris, & summi, velut hostia viva, Jehovahæ  
Totus amore flagras, totum Te impendis amanti,  
Te Deus Abelis placido, Dilecte, beatum  
Lumine respiciat, facili pia vota secundet  
Numine, & æthereo Te tandem jungat Abeli.

L. M. Q. F.


F. J. A. SCHUMACHER ;  
cultt. litt. Stud.














CADEMIAE JULIAE  
CTOR ET SENATVS  
CIVIBVS SVIS

S. P. D.



Vmma eademque regia Perfa-  
rum auctoritate ex captivitate  
Babylonica dimissi Judaei, Hie-  
rosolymam ac in reliquas Pa-  
laestinae provincias redeundi li-  
centiam impetraverant, divinis-  
que auspiciis sub moderamine  
Zorobabelis Principis & Jesu  
supremi Sacerdotis omnem o-  
erant, ut non modo sanctam urbem de-  
ent, novisque muris ac munimentis  
t, verum etiam aedem Domini magni-  
instaurarent, & cultum clementissimo  
tandum subinde renovarent ( $\alpha$ ). Quem  
otum opus indefesso studio urgere per-  
stiffimosque & fere quotidianos labores  
ulitate continuabant, ac initio de feli-  
gloriabantur ( $\beta$ ); sed postea, quum in  
laeque Ministrorum odium paulatim  
A 2 addu-

V. 2. Hagg. I. 12. II. 5. Sir. XLIX. 13-15.  
D. II.